



## **Meditatio Theologica De Reliquiis Imaginis Divinae**

Vitembergae: Prelo Vidvae Scheffleriae, [1710?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862186153>

Druck Freier  Zugang





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn862186153/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn862186153/phys_0001)

**DFG**



384 a. B.

48. b. 8.


17

Fa-1092 (11.)



2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.







2. 2.

3. 4.

3.

2. 3.

4.

2. 2.

5.

2.

6.

2. 20.

7.

8.

9.

1. 17.

11. 16.

11.


15.

12.

...

13.








2. 25  
24.  
3.  
23  
4.  
22  
5.  
2  
6.  
20  
7.  
8.  
9.  
17  
11. 16.  
15.  
12.  
13







Q. D. B. V.  
 MEDITATIO THEOLOGICA  
 DE  
**RELIQVIIS**  
**IMAGINIS**  
**DIVINAE**

QVAM  
 PRAESIDE  
 DN. GOTTL. VVERNSDORFIO  
 S. S. THEOLOG. D. ET PROF. P. TEMPLI OO. SS.  
 PRAEPOSITO, ALVMNORVM SAXO-ELECTORAL.  
 EPHORO, AC COLLEGIISVI  
 H. T. DECANO  
 PATRONO AC PRAECEPTORE SVO  
 OMNI OBSERVANTIA AETATEM PROSEQVENDO  
 D. MENS. APRIL, A. R. S. c13 15 66 X.  
 IN ACROATERIO MAIORI  
 PVBLICE DEFENDIT  
**CHRISTIANVS NICOLAVS MARCI**  
 SVNDENSIS

---

VITEMBERGAE  
 P RELO VIDVAE SCHEFFLERIAE



RELIQUIAE  
IMAGINES  
DIVINAE

DR. GOTT. VERNERDORFII  
S. S. THEOLOG. ET EPISC. TEMPLIC. SS.  
EPISCOPI ALAMANNORVM SACRO-EPISCOPI  
EPISCOPI AC COMITIS  
PATRONVS AC PRAESIDENTVS  
SVM OBSERVANTIAE STATVS HONORIFICVS  
D. MESS. ABBATIS S. MICHAELIS  
IN ABBATIA S. MICHAELIS MAIORIS  
VIVENSIS  
CHRISTIANVS NICOLAUS MARCI

---

MEMBERIA  
S. S. THEOLOG. ET EPISC. TEMPLIC. SS.





Θ. B!

§. I.



quod in vasta aquarum irruptione fieri cernimus, ut alius alios observet gurgites, unde Cataclysmus exortus sit; illud vero, si unquam, nostra sane, in quam sapientissimum Numen nos reservavit, temporum acerbitate, sibi datum esse haut quidem ex vano judicant doctrinae purioris Vindices, dum diligentissima sciscitatione, *περὶ* quæ vocantur, Turbonum Ecclesiae *ψευδή* explorantes, diversos quisque fontes designare allaborat, unde hæc vel illa usque adeo fœda errorum eluvies proflexerit, atque in cœtum credentium sese diffuderit. Neminem igitur fore putaverim, qui vel nostris, infirmis illis quidem, conatibus tamen, succenscat, eo collineantibus, qui, optima hæc Doctorum in perme-tiendo feliciter amplissimo Theologiæ æquore, tanquam illustres quidam Phari nobis prælucentium instituta, in exemplum sumpta, qualicunque saltem similitudine exprimere studeamus; adeoque illud Thema, sacri speciminis loco, ponderandum suscipiamus, in cujus solidiori cognitione non solum omnibus Theologiæ consecratis, ingenii ac industriæ vires intendendas esse, B. Dn. D. Seb. Schmidr, in consummatissimo suo de imagine divina Tractatu, p. 3.

A 2

cenfer:

23  
24  
23  
2  
21  
20  
1



censet: verum, ex cuius superficialia notitia, immane quantum, labefactata esse, & hodiernum labefactari, sacrae doctrinae capita, compertum, proh! satis habemus. Ut enim tacitus, hac vice, omittam praeposteros Lombardi sectatores, qui ex sinistra intellecta imaginis divinae natura, gravissimos sparserunt de peccato, libero arbitrio ac renovatione, errores; hodiernorum duntaxat Fanaticorum placita penitus inspiciamus, & apparebit oppido, vanissimam istorum de lumine & verbo interno; de scintillula divina post lapsum in hominibus residua; de essentiali, quod inde a tenera aetate in nobis existat, divino penetrante lumine; de caelesti tinctura, de puncto saliente, aliisque, *τερολογίαν*, non, nisi perperam jactatis imaginis divinae rudibus, tanquam basi cuidam inniti, ac nescio quos inde sibi colores, quaerere. Hoc igitur Fanatici Spiritus *μορολίκειον*, quod instar spongiae, efflictim deamat ac quasi ambit, agendum, attentiori mente per seculum Scripturae veracissimum, in omnem partem, contueamur! ut eo luculentius pateat, meram umbram esse, quam pro lumine homines isti amplectuntur. Quod tamen, antequam aggredimur, Lect. Benev. latere nolumus, tantum abesse ab observantia nostra, qua omnem Orthodoxorum coronam prosequimur, ut communi ipsorum consensui, residuis post lapsum imaginis divinae reliquiis, subscribenti, nostra haec meletemata ex *προπετεία* quadam obvertere, constituerimus; ut potius, investigata sedulo ipsorum mente, exploratum habeamus, *ἀκρίως* saltem illos locutos fuisse, in summa rei autem, quam optime sibi ad unum omnes constare, prorsusque a stolidis Fanaticorum somniis abhorrere. Quid enim? Nihil sane nisi *ipsa hominibus ἑμφυτα principia, vulgo sic dicta imaginis divinae rudera ab illis intelligi, scripta testantur.* Nobis proinde accuratior saltem *τερόπειαι παιδείας* in ponderoso hoc dogmate sectandus videtur, hoc quidem magis, quo certius est, posse commenta ista, supra a nobis recensita, omnium commodissime hac ratione dissipari. Quod ut *ἐν τάξει* fiat, tractationem ipsam in duas



duas partes dispescemus, in quarum prima, de biblica Imaginis divinae descriptione; in altera, de omnimoda ejusdem per lapsum amissione atque jactura, sumus acturi.

§. II.

Ad primum momentum quod artinet, non multi erimus in enumerandis variis Veterum, v. c. *Judeorum, Origenianorum, Patrum, Anthropomorphitarum, Pontificiorum, Calvinianorum, Socinistarum, Flacianorum, Arminianorum, Peyererii, aliorumque* de Imagine divina erroneis sententiis: Cumulatas illas invenire licet apud celeberrimam illam Theologorum Trigam, Dn. D. Jo. Gerhardum, in *Locis Theol. L. de Im. div. §. 24. seqq.* Dn. D. Jo. Balth. Meisnerum, in *Anthropologia, Disp. I. §. II.* & Dn. D. Seb. Schmidt, in *Tr. de Im. div. P. II. C. IV.* Sed, nec refellendis *κερολογισταις Quackerorum, Helmontii ac Pietistarum*, brevitati litantes, immorabimur: dum *Illi*, interprete Antesignano Barclajo, in *Thesibus Theologicis*, insignem quandam felicitatem quoad ea, quae ad externum hominem spectant, per Imaginem divinam intellectam volunt; *Iste* in animae spiritali substantia eam reperisse, sibi falso persuadet, *Hi* denique in vita, & spiritali, & animali, in fruitione & possessione attributorum DEI, imo in Christo ipso, ac nescio qua tandem luce, ac unctioe Cimelii hujus naturam collocant, vid. D. Breithaupti *Theses Credendorum Loc. de Im. div. passim*, & D. Zieroldi *Synopsis*, quam temere vocat, *veritatis divinae, Art. XII. p. 259.* Horum namque *Φλυαγιας* pariter dignis modis retulisse, partim B. D. Bayerum in *Collatione doctrinae Quackerorum*, partim B. Holtzhausenium, & Anton. Reiserum in *Anti-Barclajo*, partim Dn. D. Jægerum in *Examine nova Theologiae Poiretii p. 21.* partim Dn. D. Joh. Andream Schmidt, in *Disp. cui Tit. Errantes Helmontii Ignes in Loc. de im. DEI*, partim Dn. Bücherum in *Pietista ἀπορροβόλω C. I. Th. V.* partim denique Dn. D. de Mascov, & L. Rumpeum, in *Academia Gryphica peculiaribus Disputationibus*, quis est, quem prætereat? Hoc saltim obelisco notandum duximus, graviter falli non minimaem, cujus celeberrimo nomini consilio parcimus, dum

25  
24  
23  
22  
21  
20  
19



pollicem Poireto premens in collegio suo Biblico MScto ad Locum Gen. I. 27. afferere nullus dubitat: *fundamentum imaginis divinæ constituisse proxime in unione hominis cum DEO, ex qua summus amor DEI, egregia sapientia ac sanctitas orta sit, quæ gratis sane, atque* *ἀρετὴ ἰσχυρῆς* affirmantur. Nonne enim Adamus, in imagine divinâ jam constitutus, unionis ac communionis cum Creatore demum factus est particeps? Nonne, ut post lapsum justitiæ imputatæ consequens Unio atque communio cum DEO existit, *1. Cor. I. 9. 1. Job. III. 3*; ita pariter in statu integritatis consequens fuit justitiæ inhaerentis *per Sanctitatem*? Si enim homo cum DEO *citra imaginem divinam* unitus fuit, aut fuit unitus unione essentiali, aut personali, aut fidei? At enim non hac, quando fidei in Paradiso ante ipsum non fuit locus; non ista, quia sic unam DEUS ac homo constituisset Personam; sed nec illa, quia homo eandem cum DEO essentialiter communem habere non potuit, prout Ipse Vir celeberrimus errorem hunc l. c. in Manichæis atque Flacianis damnat; Ergo nulla omnino. Qui itaque unio cum DEO fundamentum Imaginis divinæ audire potest?

§. III.

Nos igitur, non nisi ipsum Scripturæ S. in hoc arduo fidei capite, ductum inoffenso sequemur pede, id quod etiam Phœnix ille Theologorum, D. Jo. Gerhardus in *Locis Theol. L. de Im. div. §. 27.* sedulo faciendum inculcat, probe gnari, in quam certissima errorum præcipitia *sensus*, qui aliquibus *Ecclesiasticus* appellatur, & per quem omnia illa, in quibus homo quædam *Dei* exprimit, ad imaginem divinam referuntur, deduxerit. Hoc enim admissio, parum obstabit, quo minus ipsis bestiis, aliqua saltem imaginis divinæ pars concedi debeat, utpote quas inter, & DEVM, pariter aliquam dari similitudinem, vel inde pater, quod ipse DEVS in Sacris paginis, hinc atque illinc, cum illis se compareret, id quod sine similitudine fieri non potest. Ut vero pro virili circumspecte proponamus omnia, statim cum Summe Rev. Dn. D. Fechtio, observandum esse arbi-



arbitramur: Imaginem divinam, praelucente  $\lambda\upsilon\chi\omega$  Scripturæ, vel considerari *in se, ac άνευ συμπλοκῆς*, prout est *qualitas*, vel donum internum, Protoplastis a DEO concreatum, earumque animas mirifica quadam nobilitate perficiens; vel *quoad Statum*, qui ipsis in imagine divina jam constitutis, conveniebat, in quo plura alia decora, axiomata, ac privilegia abunde se exeruerunt, quæ quidem ad ipsius imaginis formam (ut loqui in Scholis solemus) hautquaquam spectarunt; quibus tamen, ad defungendum eo melius, Imaginis divinæ axiomatibus, gaudere illos par erat. Perinde, ut aliud est *Majestas Principis*, variorum jurium & axiomatum possessionem complectens; aliud *Augustissimus Status*, in quo Majestas illa exercetur. Illa, rei intrinseca atque essentialia commode salutare possunt: hæc, extrinseca atque accidentalia, siquidem in futura aliquando beatitate, ubi perfecte nos ad imaginem DEI renovatum iri, edocti sumus ex *Psf. XVII. 15.* cum illa non omnia erunt con-

## §. IV.

His præstructis, ipsam Imaginem divinam statuimus absolutam fuisse ( $\alpha$ ) *ex parte intellectus*, perfectissima atque effectiva DEI  $\tau\rho\iota\sigma\upsilon\pi\rho\sigma\acute{\alpha}\tau\eta\varsigma$ , mysteriorumque divinorum notitia, quæ hodie post lapsum supernaturalis ac spiritualis in Scripturis vocatur: ( $\beta$ ) *ex parte voluntatis*, exactissima cum DEI sanctitate ac justitia conformitate, cujus virtute citra ullum unquam defectum, in omnibus omnino legi divinæ tam naturali, quam positivæ paratissimum, ac proinde perfectum obsequium, Protoplasti præstare potuerunt.

## §. V.

Cæterum, quum dixisse, in Theologia hautquaquam sufficiat, sed  $\acute{\alpha}\pi\omega\delta\epsilon\iota\chi\epsilon\iota$  opus sit, confirmationem theos nostræ confestim subjungimus, provocantes tum ad veteris, tum ad novi Instrumenti clarissima oracula, ac

I quidem ad *Gen. I. 27.* ubi ita verba fluunt:  $\text{וַיְבָרֵךְ אֱלֹהִים אֶת הָאָדָם בְּצַלְמוֹ בְּצֶלֶם אֱלֹהִים בָּרָא אֹתוֹ זָכָר וּנְקֵבָה}$

$\text{בָּרָא אֹתָם:}$

Et



Et creavit DEVS hominem in imagine sua, in imagine DEI creavit eum, marem & fceminam creavit illos: Hic not. (1.) *humane nature atque imaginis divinae*, quæ ad illam, tanquam qualitas, refertur, *distinctionem*, unde manifestum evadit, non in ratione, ejusque usu, ipsam consistere imaginem divinam, siquidem illa ad substantialia hominis utriusque pertinet. (2.) *Ipsam DEI Creatoris*, tanquam ἀρχετύπου *rationem*, (vox לצל enim rei cum re similitudinem exprimit, adeoque relativum est.) Quemadmodum enim in mente divina sapientia, atque in voluntate summa justitia ac sanctitas, velut in ἀρχετύπω relucebant; ita eadem in homine tanquam ἐκτύπω γνησίω effulserunt: propterea namque in adductis verbis, Imago DEI dicitur, *quia, quæ divina, nec de hoc mundo sunt*, complectitur. (3.) *Emphaticam repetitionem*: creavit DEVS hominem in imagine sua: in imagine DEI creavit illum, quasi dicere voluerit Sanctus Spiritus: *In imagine DEI creavit DEVS hominem, non in imagine, quam hodie portat.* (4.) *Dominii* in creaturas ab ipsa imagine divina disertam *exclusionem*, quorum vid. sequentia.

(II) *ad Cohel. VII. 29.* לִכְרֵ רְחֻמָּה טַצְחַתִּי מִשֵּׁר עֲשׂוּהָ  
הָאֵל הוּא אֲתֵּדְהָרִים יִשְׂרָאֵל

*Tantummodo vide, hoc inveni, quod DEus hominem fecerit rectum.*

quo in oraculo inprimis דוֹ יִשְׂרָאֵל est notandum. Hoc quippe nomine, ut ex locorum parallelorum collatione evincitur, quando de hominibus a Spiritu S. adhibetur, ad Legem divinam respicitur, nec simplicem tantum labis cujuscunque absentiam indigitat, sed rectitudinis quoque, seu veræ justitiæ præsentiam, qua ita comparatus homo fuit, ut, quæ Lex divina ab illo requisivit servanda, accuratissime præstare potuerit. *vid. Deur. 34. 4. 1. Sam. 29. 6. Ps. 25. 21. Ps. 122. 2.* unde græca versio, Septuaginta-viralis vulgo dicta, דוֹ יִשְׂרָאֵל h. l. per τὸ εὐθὺς, quod complexum omnium DEI attributorum, h. e. perfectionem, comprehendit, *Pf. 22. 16.* transfert, alibi vero per δίκαιος, *Num. 23. 10. Prov. 17. 27.* per καλὸς καὶ ἀγαθὸς, *Deur. 12. 28. Jer. 26. 14.* per ἀληθινὸς *Joh. II. 3. IV. 9.* reddit. Argumentum exinde fluit hujusmodi. Quicumque ita  
a DEO



23

24

23

24

21

20

1

a DEO in sua imagine creatus est, ut in perfecta iustitia, veritate ac sanctitate illam retulerit, illius neque corpus ipsum, neque anima cum facultatibus in se spectatis imaginem divinam repraesentarunt; Atqui Adamus &c. Ergo &c.

III.) *ad Ephes. IV. 24.* καὶ ἐνδύσασθαι τὸν καινὸν ἄνθρωπον, τὸν κατὰ Θεὸν κτισθέντα ἐν δικαιοσύνῃ καὶ σοφίᾳ τῆς ἀληθείας.

*Et induere novum hominem, qui juxta DEVM conditus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Vbi not. (α) Novi hominis, quoad substantiam spectati, manifestam ab eo distinctionem, quod Creatoris imagini, secundum quam conditus est, respondet. Neque enim novus homo personam hominis in se spectatam, sed imagine DEI per renovationem magis magisque ornatam, indicat. (β) Accuratam novi hominis descriptionem, qui juxta Apostoli mentem non incongrue dicitur *Idea quaedam naturae humanae, in sua perfectione constituta, abstracta, tanquam Univerſale ab individuis omnibus, ut sit apta existere in omnibus individuis.* (γ) Veteris Adami implicitam oppositionem, qui nequiquam conditus est ad imaginem divinam. (δ) Ipsam imaginis divinae rationem, quam Apostolus collocat, tum in iustitia, h. e. innocentissima, Deoque gratissima vita; tum in sanctitate veritatis, h. e. vera ac sancta de DEO vero, mysteriisque divinis doctrina, sed & vero insuper cultu DEI, ad ipsam veritatem divinam exacte conformato. Quamvis nulli repugnaverimus, si quis per τὴν ἀλήθειαν respici ex συναφείᾳ Textus judicet, ad ἀλήθειαν τῆς Χριστοῦ, ut ex qua egregie cognoscitur, quænam fuerit, quamque illustris primæva, hominum conditio.

IV.) *ad Coloss. III. 10.* καὶ ἐνδυσάμενοι τὸν νέον (ἄνθρωπον ν. 9.) τὸν ἀνακαινῶμενον εἰς ἐπίγνωσιν κατ' εἰκόνα τῆς κτίσαντος αὐτόν.

*Et induentes novum (hominem), qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui condidit illum, ubi iterum observ.* (1) *manifestum discrimen inter hominem novum, qua homo est; & qua conditus fuit juxta DEVM, hodieque renovatur juxta DEVM, imaginemque Creatoris sui in cognitione.* (2) *Imaginis divinae rationem.* Consistere illa dicitur in agnitione, ubi vox illa omnem DEI voluntatem

B

reve-



revelatam, nobis hodie natura ignotam, comprehendit, vi-  
resque pariter sufficientissimas ad præstandum illud, quod  
cognoscitur. Nimirum, non speculativa fuit Adami co-  
gnitio, sed utriusque practica. Ita DEVM, Ipsiusque Legem  
cognovit, ut juxta cognitionem suam agere potuerit, atque  
ita sapiens fuit, ut, quicquid voluit facere, quo modo sit  
faciendum, cognitum habuerit. (3) *Ipsam successivam re-  
natorum renovationem*, voce ἀνανεώσεων indicatam, quæ  
non nisi ad illa instituitur, quæ post lapsum naturæ huma-  
næ sibi relictae impervia, imo μωρία sunt, 1. Cor. II. 14. Quan-  
do vero nemo mortalium, secundum *notitiam Dei simpli-  
citer spectatam*, quæ universis φύσει inseritur, Rom. II. 14.  
renovatur, illam ad imaginem divinam spectasse, dicendum  
non est. Conf. & expendantur 1. Cor. XI. 7. 2. Cor. III. v.  
ult. 2. Pet. I. 4.

§. VI.

Ad *statum* hominis, imagine divina ornati, consideran-  
dum, pedem promovemus, ubi varia sese ac præstantissi-  
ma axiomata nobis offerunt, quæ tamen, melioris ordinis  
gratia, non ἀτόπως videntur posse distingui *in consequentia  
atque in concomitantia* statum hominis felicissimum.

§. VII.

*Consequentia* vocare licebit illa, quæ internum hominis  
primævi statum concernunt, quibusque, simulac in imagi-  
ne divina conditus esset, non sine summa quadam ἀνταρ-  
χείαι frui ipsi licuit. Atque huc referimus

I.) *ordinatam* illam quidem, (seu ad usum præscriptorum  
fructuum adstrictam) *naturalem tamen*, (nihil enim in Pro-  
toplastis ante, & extra peccatum, ad mortem propendit)  
*non-mortalitatem Corporis*, quam inter secundarias plerum-  
que numerari imaginis divinæ partes, nos quidem non  
fugit; verum minus commode illud fieri, partim ex dictis  
classicis supra evolutis, quæ ne γῆν vel μὴ immortalitatis  
corporis mentionem injiciunt; partim ex collatione argu-  
mentorum, quæ inspergere placet, patebit.

Probamus vero thesin nostram præter silentium Scripturæ  
(1) ex



(1) *ex ipsius Corporis Adami conditione*, ex cuius summa *ἐντασία* non poterat non per se, (licet imagine divina nunquam ornatum fuisset) prono quasi alveo fluere perpetua, ordinata tamen, *ἐφθασία*, cum neque intrinsecæ, neque extrinsecæ corruptionis causæ præsto essent.

(2) *A natura contrarii, nempe mortalitatis*. Contrariorum enim eadem est natura, licet opposita: At vero mortalitatis hæc est indoles, ut sit Consequens Peccati Orig. pœnæ loco, a justissimo vindice DEO hominibus statuta. Ergo eadem est pariter ex opposito immortalitatis ratio, respectu justitiæ orig.

(3) *Quia ad totam imaginem divinam credentes in his terris renovantur*, licet inchoative saltem. Quod enim *Eph. IV. 24.* de induenda tota imagine div. Apostolus loquatur, contra Riverum Nostrates diu evicerunt. Atqui ad immortalitatem corporis credentes in his terris non renovantur. Ergo illa non fuit pars imaginis divinæ. *Dixeris*: In futura demum vita renovatum iri omnes fideles ad immortalitatem corporis *in se spectatam, seu physice talem; sed ad gloriosam ac theologice talem*, cum infandis combinatam gaudiis. Ecquid enim alias foret de damnatis? Nonne & illi æternæ aliquando corporis atque animæ conjunctionis, adeoque physice dictæ immortalitatis, a justitia divina reddentur participes? An vero propterea vel istos dixeris ideo renovatum iri ad aliquam, saltem secundariam, imaginis divinæ partem? Minime vero.

§. VIII.

Attendamus vero etiam ad illas rationes, quæ pro vindicando corporis immortalitati loco, inter secundarias imaginis divinæ partes, solent obverti. Provocatur 1) *ad Moisaicam imaginis divinæ descriptionem*, in qua de toto homine imago divina prædicetur, *Gen. I. 27.* Ergo, inferunt, in immortalitate corporis imaginis divinæ ratio quærenda est.

Resp. Quænam vero illa collectio: Totus homo est

B 2

sub-



subjectum denominationis imaginis divinæ; ergo etiam immediate inhætionis. Immediatæ, inquam: Vti enim vitæ per animam particeps factum est corpus; ita pariter vitæ sapientis, justæ ac sanctæ, per communionem fuisse factum particeps, nulli inficiantur. Est certe non infrequens illa Scripturæ locutio, qua de toto homine excellentia quædam pronuntiatur, quam tamen non nisi secundum animam *ἀψέως* possidet. En manifesta exempla! de toto Abrahamo fides prædicatur, *Gen. 15, 16.* ergone fidei pars etiam in Abrahami corpore conspicienda erat? Toti Salomoni Sapiencia dicitur a DEO concessa, *2. Paralip. I. 12.* ergo quoddam Sapienciæ axioma non animæ, sed corpori per se competeat? Neutiquam. Proinde, ut e. g. Salomon a Spiritu S. vocatur sapiens, quia ipsius anima, quo fulgebat, Sapienciæ lumen, cum corpore communicabat, illamque per hoc domesticum organon exercebat; Ita etiam imago divina de toto prædicatur homine, non quod pars ipsius imaginis adscribenda corpori veniat, sed, quod anima imaginis divinæ axiomata cum corpore communicaverit, atque actiones Legi conformes per corpus exercuerit.

II) *Ad similitudinem DEI, quam immortalitas corporis exprimit.*

Resp. Si omne id, ex quo quædam cum DEO similitudo elucet, ad ipsam imaginem divinam referendum est, nihil obstat, quo minus ipsam vitam, intellectum ac voluntatem hominis, animæ item spiritualitatem atque immaterialitatem, imo generationem ipsam, partes constituas imaginis divinæ, quandoquidem, ut DEVS filium ex sua substantia generat; ita & Adamus generavit filium. Sola igitur Scriptura sequenda est in definienda imaginis divinæ ratione.

III) *Ad amissionem immortalitatis Corporis per lapsum.*

Resp. Valde iterum vacillat hæc argumentatio: Quicquid Adamus per lapsum amisit, in illo imago divina constitit: Arguo: Atqui amissionem habitationem, naturalem imaginis divinæ propagationem, gratiam DEI, summam conscientie

tæ



tiae feracitatem, per lapsum amisit. Ergo etiam in his ac-  
similibus imago divina constitit.

IV) *Ad oppositum, mortem sc. qui loco immortalitatis suc-  
cessit.*

Resp. Tantum abest, ut ponderis aliquid hæc ratio se-  
cum vehat, ut potius pro corroboranda nostra Thesi op-  
pido militet. Si enim mortalitas corporis non pars, sed  
consequens peccati fuit, sequitur, etiam immortalitatem  
corporis non esse *partem imaginis divinæ*, sed tantum *Conse-  
quens*. Oppositorum quippe eadem est natura, licet con-  
traria.

V) *Ad seriei observationem*: siquidem DEVS ante  
creationem tam corporis, quam animæ, decretum de ima-  
gine sua conferenda, proposuerit.

Resp. (1) Ergone pariter dominium in creaturas ad i-  
psam referri oportet imaginem divinam, quoniam de hoc  
conferendo perinde ante creationis actum DEVS decre-  
tum formaverat? (2) Inspiciatur modo Textus *αὐθεντικός*,  
& clarum evadet, hominem ab imagine divina manifeste  
distingui: Neque enim dicitur: faciamus hominem, ima-  
ginem nostram, sed in imagine nostra. conf. *Loca Classica*  
§. 5. evoluta.

### §. IX.

Ad consequentia statum hominis sancti referimus  
II.) *naturalem*, (mutabilem licet, de qua infra) *imaginis divinæ*  
*possessionem*. Vbi quidem, cum Romanensium, tum Ca-  
lixtinorum *αἰβλεψίαν* non possumus non statim demirari;  
sed & paucis paradoxam eorum sententiam delibare, ut eo  
magis reddatur perspicuum, quam procul, in rejiciendis,  
*κωνή* sic dictis, imaginis divinæ reliquiis, ab incongrua ab-  
solutus illorum hypothesi. Ita vero statuunt hi homines,  
interpretibus antesignanis, Bellarmino, Disp. de Gratia pri-  
mi hominis C. 4. sqq. & D. Calixto, Epist. Theol. p. 94. ex  
quibus sequens formare juvat verborum compendium: *A-  
dami natura in se condita fuit cum rebellionem virium, orta*  
*ex contrariis propensionibus, quæ ut coercerentur, (licet an-*



re lapsum peccata neūtiquā fuissent) DEVS addidit supernaturale iustitiæ donum, quo per peccatum amisso, natura non corrupta, sed tantum rebellio concreata in actus producta est. Quæ sane commenta, si non Sanctissimum Numen proprie peccati causam faciunt, nescio, quid facere promptius unquam possit? Cæterum nolumus profligandis istis ineptiis inhærere: præstiterunt illud jamdudum masculæ, tum, qui univèrsa Papicolarum placita examinarunt in peculiaribus scriptis; tum B. Gerhardus in *Locis Theol. L. de Im. div. §. 46.* & B. Calovius in *Harmonia Calixtino-Papistica, C. 2. subs. 3.* quibus add. Iansenii *Libri III. contra statum puræ naturæ, Tom. 1. sui Augustini.* Nos saniora, quæ DEI est gratia, ex Sacris paginis edocti, suffragante ipsa veritate, defendimus: DEVM non potuisse, salva ipsius iustitia ac sanctitate, primum hominem aliter creare, quam ut inderet ei, non physice saltem bonam naturam, sed & moraliter ita bonam, ut nihil ad modum legis, naturæ suæ inscriptæ, necessario fuisset transgressus. Atque hæc illa moralis bonitas utique Protoplastis naturalis fuit, non quasi ad constitutionem hominis essentialem spectaverit, aut essentialibus consequentibus annumeranda venerit; sed eo sensu, quo naturale est, quod tali creaturæ, quæ Creatoris gloriam celebrare debuit, debebatur, ac sine quo, a tali Creatore Sapientissimo, citra redundaturam in ipsum defectus maculam, condi non potuit; quoque deperdito, homo, nihilominus homo, ac *ζῷον ἀλόγως* longe præstantior mansit. Quod ut eo magis fiat perspicuum, non abs re erit, communicare cum B. L. simile quoddam, a cane sagaci deperditum, quod exercitatissimus Doctor Theologus, Joh. Fechtius, in scholis suis privatissimis, aliquando suppeditavit. Quemadmodum DEVS, inquit, si canem domum custodientem, & feras investigantem, creare voluit, non potuit sine singulari olfactus excellentia creare, aut aliam certe singularem ei indere virtutem, qua hunc finem obtinere posset: Ita DEVS, si voluit hominem condere, gloriam suam & salutem propriam promoventem, non potuit sine illis viribus condere,  
per



23

24

23

2

21

20

1

per quas hos fines potuisset impetrare. Et quidem, quanquam  
 singularem olfactus prestantiam, præ cæteris animalibus o-  
 mnibus, canis indiderit DEVS, absque qua si creatus fuisset,  
 aut creari potuisset, canis nihilominus fuisset; tamen illa ol-  
 factus prestantia ideo non est supernaturalis, sed naturalis:  
 non ex natura canis, ut animal est, sed, ut tale animal est,  
 profluens, & tali animali, ob finem cum ipsa intentum, debita:  
 Ita, quanquam perfectionem illam imaginis divine, qua ho-  
 mo vires habuisset, bonum morale perfecte sine lucta facien-  
 di, & Deum, etiam in Personis cognoscendi, indiderit primo  
 homini Deus; adeo, ut, si sine illa perfectione creari potuis-  
 set, homo nihilominus fuisset; tamen perfectio illa non est su-  
 pernaturalis, sed naturalis, non ex natura hominis, qua ho-  
 mo est, sed, qua talis homo est, nempe in statu integritatis  
 constitutus, profluens, eique, ob finem a Creatore intentum, de-  
 bita. Hactenus ille. Subnectimus vero pauca pro con-  
 firmanda hac veritate argumenta, desumpta illa quidem

(1) a productionis modo, qui est creatio prima, in qua,  
 quicquid productum est, aut concreatum, naturalis fuit qua-  
 litas. Vnde enim, quæso, nisi ex prima naturæ creatione,  
 naturam & naturalia hominis æstimabimus? (2) A fine ho-  
 minis. Conditus est homo propter DEVM, ut illum agno-  
 sceret, agnitum celebraret, atque æternæ tandem beatita-  
 tis fieret particeps. Qui vero destinatur ad finem naturæ  
 conformem, illi media naturalia non denegantur. Ergo  
 & DEVS naturales homini vires indidit, quibus finem il-  
 lum potuisset assequi. (3) A propagatione per naturalem ge-  
 nerationem, (ὡς ἐκ φύσεως enim per Spiritum S. ex substantia  
 Evæ propagandam fuisse imaginem divinam, suavia sunt  
 Helmontii somnia, Lib. Demonstr. Thef. 3.) quam adversa-  
 rii largiuntur: Dona vera supernaturalia gratiæ per gene-  
 rationem in singulos propagari, plane foret ἀτοπον.

§ X.

Tertium denique status interni, hominis integri, con-  
 sequens, ulterior fuit divinorum bonorum accessio, v. g. dul-  
 cissima S. S. Triados in illo habitatio, constantissimus amor,  
 favor



favor ac gratia; unde summa quædam ἀντάφραξις animæque  
delectatio resultavit; fiducia quoque in DEVM posita,  
quod, modo præscriptam legem servaverit, in æternam a-  
liquando gloriam ipsum esset evecturus. Quæ quidem,  
tametsi ad supernaturalia dona referri a Theologis solent,  
rectius tamen, monente B. D. Osiandro in *Colleg. Syst. p.*  
*283.* & D. Fechtio in *Collegio ad Syllogem suam, L. de im.*  
*div. §. 3.* ipsis naturalibus annumerantur. Quicquid enim  
primo homini, inde ab ipsius procreatione ἀρχαίως con-  
iunctum, divinamque imaginem nexu indivulso securum  
fuit, illud omnino naturale fuisse Protoplastis, dubitandum  
non est: Neque enim potuit sanctissimum Numen, nisi  
gratia, atque intentissimi amoris affectu, prosequi creatu-  
ram, ad voluntatem ipsius gressus exactissime dirigentem.  
Quemadmodum pater non potest non amare filium, ob i-  
maginem sui, ceu differit B. Dannhæverus in *Hodosophia*  
*p. m. 298.* Ut taceam, falsa superstructam esse hypothesi  
communem sententiam, ac si nimirum, divinarum rerum  
(quæ hodie mysteria audiunt) notitia, v. g. DEVM esse  
τρισυπόστατον, Patrem æternum generare Filium, Spiritum  
S. a Patre pariter ac Filio æternum procedere atque spi-  
rari, homini primo etiam supernaturalia fuerint. Interim  
excusari posse Theologi nobis videntur, si ad illa cum pri-  
mis dona dicantur respexisse, quæ ad insignem intellectus  
notitiam, voluntatisque perfectionem, extraordinarie non-  
nunquam accessissent: quando videlicet DEVS primis Pa-  
rentibus sæpius in Paradiso apparuisset; cum iis tanquam  
cum filiis suis amice congressus fuisset; adeoque per crebra  
ejusmodi cum DEO instituta colloquia, vel notitia DEI,  
vel amor ejusdem augmenta cepissent: Quomodo Ange-  
lorum cætus per naturam διὰ παντός DEVM agnoscent,  
at nihilominus in illa sua γνώσει ex quotidiana cum DEO  
consuetudine mirifice crescant, *Matth. XIX. 10. Eph. III.*  
*10. 1. Pet. I. 12.*



23

24

23

24

21

20

1

§. XI.

Expositis ita συντέμνω consequentibus statum hominis integri internum, ad concomitantia ipsiusmet statum externum, quibus magnificentior reddebatur ille, progredimur. Offeritur vero hic nobis statim illustris quaedam præstantissimorum Privilegiorum Triga, nimirum: I.) Dominium in ζωα ἄλογα Gen. I. 26. II.) amœnissima habitatio Gen. II. 8. III.) fructuum saluberrimorum apparatus Gen. I. 29. C. II. 9. De singulis paucissima disputabimus.

§. XII.

Ac dominium quidem quod concernit, non in jure solum, ac potestate hominis, in animantia τῆς οἰκεμένης; (astra enim pariter Adami arbitrio subjecta fuisse, Scriptura nullibi testatur) verum etiam in vi ac potentia flectendi illa promptius ad obsequium, sine ulla difficultate, ac metu accipiendi ab illis damni, constituisse; hautquam tamen peculiarem ipsius imaginis divinæ partem, constituendum esse, putamus. Nonne enim sapientissimus rerum Conditor hominem in imagine sua jamjam creatum, Univerſi hujus Principem, demum ordinavit? Nonne in locis clasticis Novi fœderis prorsus omittitur? Imo, nonne in altera tandem aliquando vita perfecte omnino ad imaginem DEI πιστοὶ ἄχρι θανάτου renovabuntur, utut dominio in creaturas nullus amplius locus futurus est. Rem adeo evidentem esse crediderim, ut ulteriore apodixi securi possumus superfedere, quicquid etiam ogganniat Socinistarum male sana cohors, quorum μωρολογίας profligatas vide in B. Calovii Socinianismo profligato, Scherzeri Col. legio Antisociniano, Loc. de imag. div.

§. XIII.

Ebræorum Magistri, quibus pollicem Allegoriarum  
C Pater,



Pater, Origenes Adamantinus, & alii, quibus symbolica arridet Scripturarum ἐπιλυσις, premere non dubitant, statuunt, Paradisum, augustissimum illud Parentum nostrorum domicilium, non fuisse quiddam corporeum. Cui commento singulae Capitis I. *Gen.* lineae reclamant. Amoenitatibus illum egregiis affluxisse, vel inde potest colligi, quod ab ipso nostro dulcissimo Sospitatore, beatisimi Electorum habitaculi constituitur παιδευτήριον, *Luc.* 23, 43. *conf. Apoc.* 11. 7. ut taceam Ebraici nominis יָד יָד emphaasin, quae nil nisi delicias spirat. In quamam vero terrarum parte situs fuerit Paradisus, nostri non est instituti disquirere, atque in tantis sententiarum divortiis, temerario ausu definire. Vid. interim, si lubet. Bochartus *T. I. O. O. f. 836.* nec non elegantissima Salomonis van Til Dissertat. Geographico-Theologica de situ Paradisi terrestri, qui singulari cum studio, iudice Magnif. D. Val. Ern. Loeschero, hanc rem est perscrutatus.

#### §. XIV.

Arborem vitae (ut ex amplissima fructuum, quibus confitus usquequaque fuit Paradisus, abundantia unicum saltem commemoremus) propterea a DEO fuisse conditam, ut vitam hominum conservare, prorogare, viresque semper vegetas ipsis ex concreata quadam δυνάμει praestare posset, plane inficiantur Rupertus, Tostatus, atque Pererius, (in quorum sententiam quoque B. D. Seb Schmidium descendisse, haud obscure colligere licet ex ipsius Tractatu de *Im. Div. p. 423.*) his adducti rationibus: partim, quod illa arbor multiplicabilis, ut loquuntur, non fuerit, adeoque hominum innumerabilibus familiabus per univsum terrarum orbem diffusis frui illa minus licuerit; partim, quod pertinaci ac rigoroso Antagonistae satisfacere posse non videatur communis illa arboris vitae explicatio, propugnanti scilicet, mortalem in se fuisse hominis natu-



18.  
25  
24.  
23  
22  
21  
20  
19

naturam, si ita potuerit deficere, instauratione ut opus haberit. Hinc sibi probabile videri, differunt, a *παυσγία* Ca-codæmonis, arbori huic nomen illud fuisse impositum, ut suafor hac ratione Protoplastis existeret, posse ipsos, si forte ex decreto DEI decedendum sibi esse autumarent, vitam ex ipsius fructibus restituere ac prolongare. Quapropter verba *Gen. III. 22. Et nunc ne manum extendat suam & decerpas etiam ex ligno vitarum, & comedat, & vivat in seculum*, ironice interpretanda, censent, quasi ad præposteram Adami opinionem, qui hoc potuerit cogitare, DEVS respexerit. Sed enim vero, quum nulla admodum ratio fuerit, cur vel Adamus, vel Moses, imo ipse sanctissimus Jehova, nomen ex impudentissimo satanæ mendacio deductum, arbori voluissent imponere; cumque ad hoc injecti scrupuli non tanti sint ponderis, quanti primò quidem videntur intuitu, adeoque prudenti, veritatemque amanti Adversario facile evelli atque eximi possint, maluerimus hic in recepta Theologorum explicatione perseverare.

§. XV.

Atque hæc de imagine divina, statuque hominis in illa conditi, splendidissimo, attulisse, sufficere poterunt, nisi pretiosissimum illud depositum ab Adamo, non quidem qua integro, nec, qua corrupto, sed, qua falsi specie imbuto, semetipsum corrumpente, ac, neglecta sapientia a DEO indita, errorem, a fraudatore satana proterve suggestum, suscipiente, prorsus, eheu! fuisset amissum, ut nihil minus, quam imago divina, vel saltem ipsius *εἰκόνα* quædam in posteros propagata fuisse gloriari possimus. DEO enim cedente, cessit (ut acutissimi D. Danahaueri, *Hodosoph. p. m. 288.* verba, mea faciam) imago, quemadmodum homine a speculo recedente. Quum itaque in hac munienda thesi vel maxime vertatur Dissertationis nostræ cardo, misis cæteris, quæ pro demon-

C 2 fran.



stranda, sensu vulgari accepta, totali amissione imaginis divinae, adduci solent, argumentis, sequentia statim in medium proferimus. Provocamus nimirum

I.) *ad expressam Mosis assertionem, Gen. V. 3.* vixit Adam triginta & centum annos, & genuit ad similitudinem suam, ad imaginem suam Filium. Vbi obl. (α) *imaginis Adami & DEI luculentam oppositionem*, vid. comma *1. C. cit.* (β) *Sollicitam imaginis Adami repetitionem*, utpote qua, quemadmodum ex genio linguæ elucescit, Spiritus S. nihil aliud declarare voluit, nisi, similitudinem illam Sethi ex Adamo esse, non ex alio, hoc est: non ex DEO. Similem locutionem de imagine divina, πρὸς ἀνεπίβειαν adhibitam legimus *Gen. I. 26.* (γ) *Emphasin τῷ ἴσθητι* præfixæ *particulæ* ו, vi cujus omnia illa, in quibus Sethus Patrem Adamum, ceu hominem, cum oppositione ad imaginem DEI amissam, exacta quadam similitudine exscripsit, indignantur. *vid. Joh. Mercerus ad hunc locum.*

II.) *ad Apostoli Pauli confirmationem, Rom. III. 23.* Omnes peccaverunt, ac destituuntur gloria DEI. Vbi not. (1) *vocabuli δόξης significationem*, quod juxta συνέχειαν Textus, Locorumque parallelorum collationem, *1. Cor. I. 7. 2. Cor. III. 18.* ipsius imaginis divinae referre synonymon, cum Nostratibus Theologis defendimus. Imago divina enim, quid quaeso, nisi gloriam sapientiae, justitiae, ac rectitudinis DEI repraesentavit? unde, quum ante defectionem, per propriam justitiam DEO accepti esse, ac justii persistere potuerint homines, nunc amplius non, nisi per alienam gratis imputatam justitiam, justii coram DEO comparere possunt, (2) *Imaginis divinae ac peccati orig. oppositionem, hujusque, non illius, in posteros propagationem.* Omnes enim dicuntur esse peccatores. (3) *Verbi ἰσθητῶν ἐμφανῶν significationem.* Denotatur enim illa, observante B. Wellero, ac Schmidio cum primis ad hunc locum, omnimoda rei, quae vel antea adfuit, vel non adfuit, absentia. Provocamus ad inductionem locorum Scripturae, ex quibus sole clarius evadit,



18. - 25  
24.  
23  
22  
21  
20  
19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1

dit, perpetuam hanc esse hujus vocis vim, *ubi casus ipsius sequens est nomen rei.* Expendantur ex quamplurimis sequentia, *Matth. XIX. 20. Marc. X. 21. Luc. XV. 14. C. XXII. 35. conf. omnino 1. Cor. XV. 49.*

III.) *ad manifestum Librorum nostrorum symbolicorum consensum, in solida declaratione, p. 639.* Ita vero illi: *Malum illud originis, inquit, est aliquid in ipsa hominis natura, corpore, anima, omnibusque viribus humanis, horrenda videlicet, profunda, intima, atque verbis inexplicabilis naturæ corruptio; ita, ut homo originali justitia, cum qua initio creatus erat, penitus spoliatus, careat, atque in rebus spiritualibus, ad bonum prorsus mortuus, cetera.*

IV.) *ad altum Scripturæ de rudibus imaginis divinæ, post lapsum in hominibus residuis, silentium, neque enim ulla syllaba mentionem ornamenti hujus injiciens, generales suas de omnimoda imaginis divinæ amissione locutiones, vel explicite, vel implicite saltim, restringit; sed potius*

V.) *ex ipsa hominis natura, qua homo est, (sic namque notio Φύσεως de homine a Viris Θεοπεθεύσις usurpata fuit. vid. Gal. II. 18. Eph. II. 3. Jac. III. 7.) tum lumen veri, seu notitias quasdam de DEO infitas pariter atque acquisitas; tum semen boni, seu instinctus quosdam naturales ad bonum, nomine reliquiarum imaginis divinæ efferri solita, deducit, Rom. II. 14. 15. C. I. 19. 20. 27. 1. Cor. XI. 14. adeoque*

VI.) *imaginem divinam (α) ex parte intellectus non in notitia DEI simpliciter spectata, sed NB in perfectissima DEI τελευτησιας mysteriorumque, seu, ut Libris Symbolicis salutantur, rerum spiritualium, notitia, quæ humanæ naturæ superaddebat, ac hodie in statu corrupto υπερφυσική dicitur, nec, nisi ex revelatione hauritur, Col. III. 10. Eph. IV. 24. (β) ex parte voluntatis, non in amore honestatis externæ, vel exercitio operum a Legge naturali requisitorum, quoad externam saltem disciplinam; sed in*



*exactissima conformitate cum DEI sanctitate, ac justitia, viribusque absolutissimis, Legem DEI perfecte implendi, cultumque Majestare divina dignum, ipsique acceptum, offerendi. Vid. quæ diximus §. IV. & conf. 1. Pet. 1, 15. Quomodo ergo notitia DEI naturalis, amor honestatis externæ, discrimen turpium ac honestorum, cætera, rudera saluari possunt imaginis divinæ, cujus partes nunquam fuerunt?*

VII.) in solidum argumentamur : Quæcunque sunt essentialia consequentia naturæ humanæ, qua humanæ, illa non spectant ad imaginem DEI. Atqui omnes *νοήται έννοιαι* seu notionēs, in omnium (ut Cicero, Orat. pro Milone loquitur) animis a natura ipsa impressæ, sunt essentialia consequentia naturæ humanæ. Ergo non pertinent ad ipsam imaginem divinam. Majorem propositionem sua radiare luce, nemo, crediderim, non fatebitur, qui primis saltem labris diviniore Sapientiæ capita degustaverit, & exinde edoctus fuerit, imaginem DEI Protoplastis quidem naturalem fuisse, at non *NB. constitutive ac consecutive; sed principiative, debitive, transitive, perfective ac subjective.* vidd. Systemata passim. Minor pariter suo consistit talo, quandoquidem sine *νοήται έννοιαι* homo, non homo, ac creatura, reliquis animantibus longe præstantior, esset, sed ipsum *ζῷον ἄλογον.* Vnde tam a Theologis quam sanioribus Philosophis evictum est, (quicquid etiam post veteres quosdam garriant *Contarenius* Lib. I. de perfectione rerum sub init. *Zeisoldus* Disp. de notitiis naturalibus, & *Joh. Lockius* Medicus Anglus, in Cogitatis de intellectu humano, sibi sane per omnia non constans) *facultatem rationalem esse hominis substantiale quid;* ut *B. Scherzerus* in *Coll. suo Antisoc. p. m. 277.* loquitur, atque adeo in omnibus *ψυχικαῖς ἀνθρώπου*, qua tales sunt, atque a brutis distincti, dari, quas diximus, *έννοιαι ἐμφύτας,* seu prima nobiscum nata principia, sine quibus homo *ne cogitare quidem* posset, disputante. *Celeb. Dn. D. Læ.*



23

24

23

24

21

20

1

Læschero in Prænotionibus suis, p. 119. illaque non quidem materialiter sumta, ut Cartesius delirat, sive ratione vocum, quibus exprimuntur, & ratione extremorum, quibus sunt composita; sed, formaliter, connexionis ratione, quibus sine medio, sine studio ac doctrina, post explicatos tantum terminos, assensus actu (habitualis enim jam adest) præbetur: adeoque ex lumine rationis patere, *tam theoretica illa*, e. gr. DEVM esse, atque illum quidem unum, justum, æternum, immensum, omnipotentem, perfectum, qui ex libera voluntate condiderit hanc, quam mirabundi contemplamur, rerum universitatem, eamque impervestigabili, sapientissima tamen, ratione conservet & gubernet. Porro: impossibile esse, idem simul esse & non esse; totum esse majus sua parte, cætera: *quam etiam practica*, v. g. Deum esse colendum, tam cultu externo, quam interno, esse celebrandum, tam publice, quam privatim; parentes esse cum amore venerandos; adversus proximum juste, adversus semetipsum sobrie, caste ac temperanter vivendum, cætera. Quarum quidem veritatum cognitionem practicam, tamen si homines sibi relictæ, pro eo ac par est, rarissime effectam dent: hautquaquam tamen ipsi rationis infirmitati hoc adscribendum venit, ac si illa omnia ipsam prætereant, sed partim abominabili illi hæreditario morbo, (iterum loquor cum Libris Symbol. p. 639.) Peccato scilicet Origin. per quod tota natura corrupta est, vires exercendi illas natura cognitæ virtutes, valde debilitanti; partim etiam, ac sæpissime quidem, ex ipsorum mortalium supina negligentia profilit, vires naturæ vel plane suppressente, vel confundente, vel minus recte utente.

IX.) Quia in respectu ad cognitionem, justitiam, & sanctitatem Parentum innocentium, posterius ad unum omnes *plane mortui*, Eph. 2, 6. C. 5, 14. Col. 2, 3. *spissa tenebræ*, Eph. V. 8. *filiis iræ*, Eph. 2, 3. *inimicitia adversus DEVM*, Rom. 6, 7. *injusti*, Ps 14, 4. Rom. 3, 10. 2. Pet. 3, 18. a Spiritu S. appellantur. Jam vero, ipsa notitia DEI insita, cum utique, *suffra-*



suffragantibus universis Theologis, in se sit perfecta ac viva, neque etiam naturales ad bonum instinctus ulli mortaliū possint ac debeant denegari, hinc examusim constare, judicaverim, illa ad ipsam imaginem divinam, *κυρίως* loquendo, nullatenus pertinuisse, utpote quæ ita deperdita est, ut ex vivis mortui, ex lumine tenebræ, ex filiis DEI filii iræ, ex justis injusti evaserimus. Ut taceam, nihil aliud subesse causæ, quam ob rem homo & DEVS, Adam & Christus, caro & spiritus adeo luculenter sibi invicem in Scripturis opponantur.

IX.) Prob. ex *imaginis divinæ opposito, peccato orig.* ex cujus consideratione imaginem divinam mediocriter cognosci posse, largitur B. Meisnerus in Anthropol. Disp. 1. Quæst. 3. Illud vero non privationem rationis, non destructionem conscientiæ, legis in cordibus inscriptæ, adeoque nec Legislatoris importat, sed (1) *ex parte intellectus*, cognitionis rerum divinarum, h. e. mysteriorum, (quæ jam tum quidem homini naturalis fuit, at non, qua homini, sed, qua homini sancto, hodie vero supernaturalis dicitur) intellectui humano post lapsum prorsus imperviorum, 1. Cor. 2, 14. ignorantiam involvit profundissimam Eph. 5, 8. ita, ut nec DEVM recte cognoscere, nec qua ratione colendus sit ille, perfecte præscribere, nec, quæ divinitus revelata sunt *πνευματικὰ* capere, nedum assensu amplecti homo possit; sed contra cum τῷ *Φρονήματι τῆς σαρκὸς* conflictari necessum habet. Rom. 8, 6. (2) *ex parte voluntatis*, omnimodum defectum sanctitatis originalis, ac virium tum diligendi DEVM supra omnia, tum exequendi *ἐπιμελῶς*, quæ sana ratio dictavit; ac contra, *ἀδυναμίαν* volendi perficiendique ea, quæ in Scripturis *πνευματικὰ* audiunt Phil. 2, 13. 2. Cor. 3, 5. Quid? quod rebellionem circa res divinas, striete sic dictas, secum vehit; sed & propensionem acerrimam ad opera, Legi tum naturali, tum revelata, prorsus contraria, importat. Rom. 5, 12. 13. 14.



X.) Innititur *doctrina de libero arbitrio*, qua homini, mortuo quidem *justitiæ orig.* vivo tamen nihilominus *natura*, nihil tribuitur, nisi, quicquid deperditis imaginis divinæ axiomatibus examissim contradistinguitur, adeoque tantum ad vitam hominis corrupti *naturalem* pertinet. Ecquis vero unquam homini, *qua* in statu etiam peccati *homo* est, vel lumen veri, semenque boni naturalis, vel luminis naturalis, in sphaera morali, civili atque economica, liberum *κατ' ἑξῆς* arbitrium denegare ausus fuit? ipsis Scripturis hujusmodi *δεληματ* & *ἐξῆς* homini largientibus. *Deut. 30, 19. 1. Cor. 7, 37. Philem. v. 14. 1. Pet. 5, 2.*

XI.) Quod si rudera imaginis divinæ superent, illa non in *intellectu* solum, sed & *voluntate* quaerenda sunt, adeoque sanctitatis etiam, ac justitiæ originalis *ἐστὶν* corruptæ hominum naturæ concedenda veniunt, vel saltem scintilla virium ad Dei gratiam se præparandi. At vero, quid ad hæc Libri nostri Symbolici? In hominis, inquiunt p. 656. *natura*, post lapsum ne scintilla quidem spiritualium virium reliqua mansit, aut restat, quibus ille ex se ad gratiam DEI præparare se, aut oblatam gratiam apprehendere - aut aliquid ad conversionem suam, vel ex toto, vel ex dimidia vel minima parte, conferre possit.

XII.) Quia notitia naturalis de DEO & bono insita, quæ ad hunc usque diem hominibus inest, docente summo Calovio in *Synops. Controvers. p. m. p. 68.* per speciem habitus *NB. cum* imagine Dei impressa fuit, adeoque prorsus non ipsius imaginis divinæ partem constituit. Vnde etiam Theologi Orthodoxi, in evolviendo statu controversiæ, de puris, quæ a Papicolarum, ac Calixtinorum turba finguntur, naturalibus, ultro largiuntur: Quodsi pura naturalia ita intelligantur, ut hodie, abstractis supernaturalibus, potentiae hominis; sique eadem potentiae simul primis hominibus inexistisse, præcis quibuslibet perfectionibus aliis, saltem *concipiantur*, nihil impedire, quo minus possint admitti: quandoquidem hoc sensu pura naturalia homini sunt, quæcumque ad essentialia ipsius pertinent, atque ex ipsius

D  
essentia



essentia necessario consequuntur. Nihil enim esse solemnius, quam unam rem concipi sine alterutra, quum omnia simul concipi nequeant. Vid. quæ diximus §. IX.

XIII.) Ex Col. 3, 10. *Eph. 2, 24. ita inferimus*: Ad quodcunque homines non renovantur, illud non pertinuit ad imaginem divinam; Atqui ad *novos & ἐμφύτας ἐβολας* non renovantur; Ergo illæ non pertinuerunt ad imaginem divinam.

Majorem propositionem stabilimus (1) ex renovationis in Theologia significatu, quæ *strictissimo sensu* non significat instaurationem, vel, ut sic loquar, *meliorationem* ejus, quod meum jam ante fuit; sed *mutationem status*, cum respectu ad ea, quæ omnes omnino homines habere potuissent; ad imaginem scil. Dei. Vid. Magnif. Dn. D. Val. Ern. Læscheri Differentiatio de Renovatione §. 2. seu, ut B. Scherzerus rem explicat in Coll. Antiloc. p. 277. *Renovatio est nova veteris, quod amissum est, redditio.* (2) quia cor lapideum, quod a natura habemus, non elevatur tantum & emendatur, uti vestis lacera refarcitur, sed plane auferitur, & aliud novum a DEO creatur. Ezech. 6, 19. C. 36, 26. Ergo plane novæ vires in Conversione ac Renovatione nobis induuntur, non vero antiquæ expolliuntur. Præclare in hanc rem B. Scherzerus in Breviario Theologico Hulsemanni enucleato p. m. 340. *Renati*, inquit, *Spiritui S. non cooperantur per facultatem naturalem, instaurationem; sed per supernaturalem ac noviter donatam.*

Minoris propositionis veritatem esse per se *βεβαιωτήν* nemo temere inficias ibit.

XIV.) Irrefragabile argumentum depromimus ex *Apologia Aug. Conf. ubi p. 218*. Philippus ita disputat: Habet humana voluntas libertatem in operibus & rebus deligendis, *ratio per se* comprehendit. Potest aliquo modo efficere justitiam civilem, seu justitiam operum. Potest loqui de DEO; exhibere DEO certum cultum; externo opere, obedire Magistratibus, Parentibus, in opere externo eligendo id enim vocat Scriptura justitiam carnis, quam natura carnalis, h. e. *ratio per se efficit, sine Spiritu S.* Quie-



Quicquid ergo ratio per se, sine Spiritu S. efficere potest, illud nullatenus referri potest aut debet ad reliquias imaginis divinæ, utpote ad quam nunquam pertinuit, nisi in ipsa substantia humana: ac his, quæ ex illa necessario consequuntur, imaginem divinam cum Flacianis collocaveris, quod absit per omnem modum; Atqui cognitionem Dei naturalem, cultum Dei externum, justitiam operum, cætera, ratio per se, sine Spiritu S. efficere potest; Ergo illa omnia non saluari possunt reliquiæ imaginis divinæ.

XV.) Quod ad *dominium in ζωα ἄλογα* attinet, quod imminutum quidem, ac fractum, exerceri tamen adhuc dum ab hominibus, in proparulo est, adeoque inter *ἐγένεια* imaginis divinæ omnino mereri locum videtur: illud sane nunquam fuisse imaginis divinæ partem; sed ad statum hominis, in imagine divina perfecte jam conditi Gen. I. 26. spectasse, §. I. evictum dedimus. Addimus hic *ὑπερπερισσῶς* B. D. Calovii ex Gen. 9, 21. contra Socinianos, argumentum, quod reperiri licet in Ejus Synopsi Controv. p. 196. Quod post diluvium DEUS concessit, in eo imago divina ante lapsum non constitit; Atqui dominium in creaturas &c. Ergo.

XVI.) Si rudera imaginis divinæ superesse credendum est, eo quod homines, notitia Dei ac dominio in Creaturas hodiernum gaudent; non sane video, quid obstat, quo minus ipsis diabolicis illæ concedendæ sint: Tamen enim in excellentiori sapientiæ ac sanctitatis gradu sint primitus conditi, adeoque non secundum illam similitudinis ideam, secundum quam DEUS in imagine sua creare homines decreverat, illud tamen, in quo imago divina constitit, possedisse ipsos, Scripturæ testantur, 2. Sam. 14, 20. Marc. 13, 32. Matth. 6, 10. C. 13, 10. C. 25, 31. Atqui de illis ipse Spirit. S. notitia DEI Jac. 2, 19. pronunciat, illosque perinde ac hujus seculi filios donatores mundi appellat Job. 12, 3. C. 14, 30. 2. Cor. 15, 4. Eph. 2, 2. C. 6, 12. Ecquis vero unquam divinæ imaginis reliquias immundis Spiritibus vindicavit, quos Salvator *γενεθικῶς* tradidit, non constitisse in veritate? ideoque Patrum mendaciorum, h. e. mendacissimorum, titulo



nobilitat, *Iob. 8, 44.* conf. Judæ Ep. c. 6. ubi non fervere Angelos quosdam suum ipsorummet principium (*ἀρχήν*) & domicilium, Apostolus docet.

XVII.) Κατ' ἀνθρώπων argumentamur: Aut *materiale* imaginis divinæ, aut *formale*, post lapsum superest; Atqui non *materiale*, id quod, exponente Gerharo *L. de Imag. div. 41.* in *Locis Theol.* Meisnero item, *Ανθρωπολογίας Disp. I. Qu. 7.* Dieterico in *Catechesi, L. de Im. div. Qu. 3.* aliisque, in mente fuit clarissima Lux divinæ sapientiæ, in voluntate libera ad DEum conversio, summi boni ὄρεξις, & cum voluntate Dei tanquam ἀχετύω, in Lege expressa, plena conformitas, in corde dulcissima harmonia omnium affectuum cum Lege, quæ omnia plane per lapsum juxta dicta supra allegata deperdita sunt: Sed nec *formale*, quod imaginis divinæ relationem Viri illi statuunt, acceptionem scilicet personæ DEO placens, inhabitationem DEI gratiosam & summorum bonorum communionem largissimam; Ergo nihil residuum est.

Si dixeris; materialis materiale relictum fuisse, ut dirutis ædibus rudera quædam licet deprehendere.

Resp. (α) Similia illustrant tantum, non probant. (β) in Theologia, si unquam simile, uberius explicacionis ergo, adhibere quis velit, ipsi fundamentum ejus ex Scriptura perendum est; Vbi autem quæso huic simili, vel ullus ex SS paginis color accersi potest, quæ potius imaginem divinam ita amissam esse, inculcat, ut homines amissa ea, tenebræ ac mortui sint redditi per peccatum, adeoque vulgo sic dictas reliquias, seu principia nobiscum nata, ex ipsa natura humana quæ tali derivat, quemadmodum supra, rat. quinta vidimus. (γ) ἀπεσδιόνυσον hoc utique simile videtur esse, quando prono quasi alveo ex ipso fluat: intellectum ac voluntatem humanam, ea ipsa esse rudera, adeoque imaginis divinæ partes existere, utpote quibus elegantissima, ut sic loquar, imaginis divinæ structura fuit inædificata. (δ) Assequi intelligentiâ nostra nulli valemus, qui



qui illa, cum supra adductis Apologiae Aug. Conf. verbis, conciliari facile possint.

§. XVI.

Cæterum, ut ne quandam temeritatis notam incur-  
re videamur, quasi, omnium omnino Ecclesiae nostrae Do-  
ctorum autoritate destituti, hactenus disputaverimus, colo-  
phonis loco, gravissimos, nobisque ἑμοψήφως Theologos  
ad testimonium citare juvat. Agmen vero ducat

I.) Theologorum Aquila B. D. Job. Gerhardus, qui in  
Locis Theol. Loc. de Im. div. §. 36. *Imago Dei*, inquit, in  
homine primo fuit *justitia & sanctitas veritatis*, & post lapsum  
ad eam homines renovari, necesse est. Ergo, si Scripturae phra-  
si loqui velimus, non est dicendum, quod anima ratione substan-  
tia, vel ratione eorum, quae etiam post lapsum naturaliter ei  
insunt, & in non renatis locum habent, sit imago Dei.

II.) B. Calovius, exercitatus ille veritatis divinae vin-  
dex, in Synopsi Controv. p. 196. *Imago divina*, ait, non con-  
sistit in iis, quae ad essentiam animae pertinent: Ratio vero  
utique ad essentiam pertinet. Neque imago DEI cum facul-  
tate ratiocinandi, vel volendi confundi potest, neque in usu ra-  
tionis constitui.

III.) Amice conspirat accuratus D. Rudrauffius in Sum-  
ma Theologiae Thet. p. 123. dum fatetur: *Imaginem divinam*  
proprie, atque in sensu Biblico, sumtam non complecti, nisi spi-  
ritualia, ac nunc totaliter amissam esse.

IV.) Διαγγέδης, superesse imaginis divinae reliquias, ne-  
gat celeberrimus Argentoratensium Theologus, B. D. Sebast.  
Schmidt in Tr. de Im. div. p. 445. *Quae alias*, inquit, *rudera*  
vocari solent imaginis Dei, imprimis *Lex naturae*, ea non perti-  
nent ad imaginem divinam, cum haec sola spiritualia complecti-  
tur, quae plane amissa esse Apostolus manifeste docet 1. Cor. II. 14.  
conf. p. 234. ubi haec leguntur: *Neque negamus, intellectam,*  
*voluntatem, dominium in creaturas, discrimen honestorum &*  
*zurpium, cæc. in homine superesse, sed juxta Scripturae stilum,*  
*ad imaginem DEI non pertinent.*

V.) Gemina plane tradit B. D. Hieron. Kromayerus in  
perspicua sua Theologia Therico-Polemica p. 637. Ea, inquit,



*naturalia competunt hominibus, ut homines sunt, manserunt, (post amissam divinam imaginem) non quatenus sunt homines coram DEO iusti, sancti, & perfecti. Nec aliter rem explicat*

VI.) ἢ πᾶν D. Quenstedius, dum in P. II. Systematis sui p. 48 Obl. II. *imaginem divinam Sileo Biblico totaliter amissam esse, docet, & saltem in sensu Eccles. (qui sane plus in Ecclesia turbavit, quam profuit) ruderata quedam remansisse, differit.*

VII.) Plane vero rem conficit summus nostri temporis Gamaliel, Magnif. Dn. D. Joh. Fechtius, quando in Scholis suis Theologicis, Thetico Antitheticis adhuc dum ἀνεκδότοις, observandum esse, monet: *Notitiam rerum divinarum, vel considerari quoad ea, quæ homo ex lumine rationis, qua tali scire potest, & hanc, Biblico sensu, ad imaginem divinam non pertinere, sed ad hominem, qua talem, quippe sine quibus non homo, sed brutum esset: vel quoad ea, quæ hodie ex revelatione seu Scriptura S. unice hauriuntur, & ideo mysteria vocantur; & horum notitiam proprie & biblice ad imaginem divinam pertinere.*

§. XVII.

Atque hæc illa sunt rationum momenta, quæ contra reliquias imaginis divinæ in medium proferre, subactisque Θεολογῶνταυν judiciis modeste exponere, animum induxeramus. Jam quidem nos haut præterit, ex præscriptis bonæ methodi regulis, nobis amplius incumbere, ut, quæ obvertuntur, argumenta, colophonis loco, placido subjiceremus examini. Sed enimvero, in nullis hæctenus Theologorum, de industria in hanc rem a nobis pervolutis scriptis, investigare ejusmodi licuit, quæ meditationi nostræ refragari visa sint: quandoquidem, si quas pro vindicando reliquiis imaginis divinæ in hominibus loco, hinc atque illinc insperferunt, rationes, illæ profecto adeo non feriant nostram sententiam, ut eo potius ad unum omnes collineent, quo pacto temerarium quorundam ausum reprimant, qui nulli erubescunt, ipsa prima nobiscum nata principia perfricta fronte explodere atque respuere. A quorum portentosa opinione, quam vehementer nos abhorreamus, singulas, crediderim, locuturas esse Dissertationis



tionis paginas. Nos igitur, spem ingredienti certissimam, fore, ut non nisi boni consulat B. L. qualemcunque nostram industriam, in juvenilibus studiis omne punctum ferre solitam, nihil præterea addimus, nisi, ut pro concessis benignissime viribus, institutum nostrum prosequendi, supplices reponamus DEO immortalī gratias, insimulque impensissime Ipsum imploremus, ut nec in posterum desistat nostris benedicere studiis, quo in animæ nostræ æternam salutem, ipsiusque vel maxime cedant nunquam terminandam gloriam.

VIRO JUVVENI

Doctrina, moribus, ac pietate cultissimo,  
CHRISTIANO NICOLAO MARCI, Sunda-Pomerano,  
S. P.

**Q**uum nuper admodum hanc ipsam, quam nunc edis in publicum, Dissertationem, exhiberes mihi, in eaque publice ventilanda, meum Tibi præsidium, multa verborum humanitate, expecteres, nosti, me quidem initio cum Tibi honestissimum institutum, tum mihi occasionem de Te, tuisque studiis bene merendi, toto pectore gratulatum fuisse. Cæterum parum absuit, quin Tibi omnis illius omittendæ disputationis, mutandique consilii, auctor essem, quod inspecta obiter Dissertatione visus mihi fueras, omnes imaginis divinæ, quas sic vocamus, reliquias, *etiam qua rem, in dubium vocare, ac tollere.* Vtut enim nullius sententiæ ita me addixerim, quin mihi integrum esse cupiam, ab eadem, postulante necessitate, recedere; ægre tamen, fateor, a receptis, probatisque Doctorum opinionibus deflecto, nec illibenter soleo, ea etiam, in quibus merito quedam desideraveris, tolerare ac ferre, tantum, ne videar, terminos movere antiquos, aut rebus novis studere. Sed enim mutavi repente meum tua de Dissertatione iudicium,

manus



quum, eadem penitus, & accuratius evoluta cognoscerem,  
tuam de reliquiis imaginis divinæ sententiam, cum Veterum  
doctorum placitis, minime omnium pugnare. Nec  
eorum quicquam in dubium vocasti, nedum præfidenter  
negasti, quæ vulgo ad imaginis divinæ reliquias referuntur.  
Quia potius eadem etiamnum homini lapsio, corruptoque  
inesse, multis variisque illam in rem allatis argumentis,  
rationibus, demonstrasti. Hoc unum, gravibus de causis,  
Tibi displicere ostendis, quod eadem illa, imaginis  
divinæ rudera, & reliquæ salutentur, ac velut de integro  
corpore fragmenta habeantur, quum revera, ob imaginem  
DEI penitus, omninoque perditam nihil aliud sint, quam  
mere naturales dotes, homini, ut homini, & creaturæ,  
bestiis, brutisque animantibus, anteferendæ, divino  
consilio, debitæ. Nihil igitur Tibi commercii est vel cum  
putido status purorum naturalium commento, vel etiam  
insano Schillingii, & aliorum, κοινὰς ἐννοίας omnino negantium,  
errore. Quumque hac potissimum de causâ titulum  
reliquiarum imaginis divinæ inducendum putes, ne  
Fanatici homines eodem ad incrustandum suum illum  
Christum in nobis, & inde oriundum Indifferentissimum  
religionum, abuti possint, facile in tua illa ἀκριβείᾳ  
acquiesco, quam aliis etiam Clarissimis, & de puriore  
DEI cætu meritis Doctoribus non displicuisse intelligo.  
Faxit immortalis DEVS, ut salvus & incolumis in patriam  
redeas, progressuque temporis locatæ in sacris, profanisque  
literis, operæ fructum feras, in locumque Virtute tua  
dignum evehatur, Ecclesiæ, ac Reipublicæ, ex tuo, meoque,  
voto plurimum profis! Jam vale, πολυφιλτατε Marci,  
domumque reversus, FABRICIVM meum, fidelem DEI  
servum, verbis meis, salute plurima imperti! E Museo pridie  
Cal. April.

*Tui studiosissimus*

PRAESES.




Index.

- 1) Laur. Scriver de Theologia in genere.
- 2) ————— de Religione
- 3) ————— de Scriptura Sacra.
- 4) ————— de Deo.
- 5) Jac. Henr. Balthasar de Scriptura Sacra, & quidem de illius Definitione.
- 6) Karl Felmer (f. P. S. T. Baumgarten) de Efficacia s. Scripturae naturali & supernaturali.
- 7) Joch. Aug. Caspe (f. P. S. G. Knapp) de Oportet s. Scripturam tanquam vera revelationis characterem.
- 8) Christ. Frid. Hüfner (f. P. S. T. D. Stofen) de Ecclesia Divina & Bibliorum inspirationem testante.
- 9) Gottfr. Schütz (f. P. S. T. Baumgarten) de Infalibilitate Pontificum Romanorum de Johes Angeris.
- 10) Benj. Gottl. Clemens de Critico Religionis Christianae primario.
- 11) Joh. Christ. Flemmii de Veritate Religionis Christi. ex Vaticiniorum implementis comprobata.
- 12) Car. Sam. Krausius de Decore Dei in Vaticiniorum Obfcuritate.
- 13) Joh. Christ. Flemmii Judaismus Christianismo sublatus. \*
- 14) Joh. Christoph. Hoff Sylloge Quaestionum Theologicarum denue tritorum.
- 15) Christ. Wendt (f. P. S. T. Baumgarten) de Omnipotentia vera notione.
- 16) Nic. Nonnen Theologumena de Terra Motu.
- 17) Bernh. Frid. Luiforpi Disputatio: an & quomodo Peccatum originis Nationi patiat?
- 18) Christ. Nid-vharci (f. P. G. Wernsdorff) de Reliquiis Imaginis Divinae.
- 19) Joh. Christ. Schwarzi Meditationes ad locum de Christo. Specimen I.
- 20) ————— Specimen II.
- 21) Benj. Lettowich (f. P. S. T. Baumgarten) de Omnipotentia Christi in statu exinanitionis.
- 22) Christ. Sigism. Georgii Veritas Resurrectionis Dominicae ab Impietatis criminationibus vindicata.
- 23) Ad. Henr. Lachmannus de Eo unde lacuna testimoniorum atq. defectus in harmonia sanctorum & profanorum Scriptorum, vita ac memoria Christi intervenientium?
- 24) Joh. Frid. Sage (f. P. S. T. Baumgarten) de Natura & Gratia Regni.
- 25) Chr. Frid. Penning (f. P. eisdem) de Conversione non instantanea.
- 26) Car. Gottl. Hofmannus de Discrimine fidei Divinae & humanae.
- 27) Christ. Weisus de Fame & Siti rerum sacrarum passim in Sacris memorata.

~
































## RERVM SACRARVM. XLIX

que cumulantibus, Ies. I, 11-15. XXIX, 13. Amos  
 II. Matth. XV, 8. Marci VII, 6. Quotquot igitur  
 sine vera mentis poenitentia, in medio vitiorum  
 mediis, peccatorum remissionem a Deo; carnali gratiae  
 percipiendos tantum fallendosque conscientiae angustias  
 effecto, sibi expetunt, Ier. III, 4. Hof. VIII, 2. Qui  
 in rerum leuitate, in Scripturam inuolant; \* aut de  
 leui articulis, morumque emendationibus, ostenta-  
 vel gloriolae captandae, vel iurgiorum prouocan-  
 Phil. II, 15. acriter disceptant; illos a Simonis Magi  
 impietate confido, Act. VIII, 18. sanctissima Flami-  
 a, profana siti, appetentis. Quin et ipsum aeter-  
 nis studium, vitio tum insigni admodum profano-  
 si mercenario et seruili ingenio, ob fictas perpe-  
 voluptates, si meritorum operumque confidentia,  
 salutis ordine, exoptetur; Luc. III, 7. XIII, 24.  
 XIX, 25. XXV, 44. Caueant igitur sibi, et solliciti  
 spiciant, ipsi etiam RENATI, ne vel talia votis suis  
 fumant, quae a Numinis voluntate, plane defle-  
 uibus impuritatis aliqua labes, cordium scrutatori  
 da, subsit. Ipsum mortis pacatae desiderium, fidei  
 do, donorumque Spiritus S. augendorum fames, si-  
 sacrarum omnis, excutienda iterum iterumque sunt  
 stus superbiaeque spiritualis quicquam, execrabile  
 crimen, ipsis forte non adeo aduertentibus, lateat. \*\*\*

## §. XX.

V. 7. 2 Tim. II. 16. 23. Tit. III. 9. Ioh. IV. 29. Matth. XIX.  
 5. 36.

liatarum reuelationum vel immediati alloquii diuini pica pertinet,  
 ri subiecisse examini non poenitebit, ELIAE, PAVLIQUE, analy-  
 i exoptantium, cupidinem 1 Reg. XIX. 4. 2 Cor. V. 8. Phil. I. 23.  
 eum videndi desiderium Ex. XXXIII. 18. 22. DAVIDIS de  
 mendo consilium, ipsi prius Nathani probatum 2 Sam. VII. 2. 3.  
 F  
 Christum

